



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Aliquot Propositiones Novissimorum Casuistarum in materia Pœnitentiæ

Zeghers, C.

Coloniæ Agrippinæ, 1679

Caput V. De Sacra Communione ante actam Pœnitentiam

urn:nbn:de:hbz:466:1-42483

in ipsis primis instructionibus iungit Absolutionem impositioni Pœnitentiæ, & dicit: *ubi prescripserit salutarem Pœnitentiam, absolvet*. Hoc saltem ex Instructionibus quas interpretandas susceperant, omitti ab ipsis non debebat.

92, Alia doctrinæ ipsius capita dabo infra, interim hæc sufficerent ad evertendam totam Novissimorum Casuistarum praxim & doctrinam, quam exhibent ulterius sequentes eorum propositiones.

C A P U T V.

De Sacra Communionem ante actam Pœnitentiam

93. **S**acrilegium est, inquiunt, Communicare donec condignam delictis Pœnitentiam egerint, Pater Gabrielis pag: 139 post Arnaldum cap. 7. num. 33. hoc perpetuo inculcat Gommarus, qui Absolutiones & Communionem, non servata methodo sua, susceptas passim vocat sacrilegas. PROP: 27.

94. Ergone sacrilegia docuit S. Carolus? unde id probant? Gommarus nullum textum adducit, sed generalia quædam tantum supponit ex antiqua illa quam præ tendit Canonum praxi.

95. Alii autem aiunt Cyprianus in libro de lapsis dicit: *vis infertur corpori & sanguini (nempe Christi) quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat, Sacerdotibus Sacrilegis irascitur*. P. Gab, pag. 139. Marcus Anton. n. 33. Arnal. p. 2. cap. 13. PROP: 28.

96. Ad

96. Addunt etiam epistolam 55. Cypriani ad Antoni. Et Cleri Romani ad Cyprianum. eadem & similia prorsus producit Marcus Antonius & Arnaldus *cap. 13.* Sed quam imperitè! agit Cyprianus de idololatriis, ideoque excommunicatis, qui volebant ad communionem Ecclesie & sacram communionem admitti ante factam confessionem, accipe verba libri de lapsis, *ante exomologesim factam criminis.* Exomologesim est confessio, Rom. Catechis. *cap. 5. num. 55.* Cur ista suppressisti venerande Pater? minis & terroribus agebant ut reciperentur. Accipe verba epistolæ 55. *Si qui sunt, qui putant se ad Ecclesiam non precibus sed minis regredi posse, aut existimant aditum sibi non lamentationibus, aut satisfactionibus, sed terroribus facere, pro certo habeant contra tales clausam stare Ecclesiam Domini.*

97. Præterea tales ad plenam cum fidelibus communionem non recipiebantur, nisi ad pœnitentiã, quam subterfugiebant. Videt ergo etiam Gummarus, quomodo pro sua abolitionis dilatione alleget ista Cypriani & Cleri loca in *Methodo sua pag. 75. in Apologia pag. 75.* Arnaldus autem ut liber ejus excrescat sæpissimè repetit eadem in paucis capitulis nempe *parte 2. cap. 9. in fine 10. 11. 12. 13.*

CAPUT VI.

Quid sentiant de Indulgentiis.

98. **V**idimus supra *num. 78. 81.* qualiter Indulgentias commendat Sanctus Carolus. Accipe alia ejus loca: reperies illa Concilio